

V.
F. 21699.
f. 41

21699 N. F. J.

~~4~~

✓ 1421

DE OFFICIO
IMMACULATÆ
CONCEPTIONIS
DEIPARÆ

ANTIQUISSIMO, ET DE-
VOTISSIMO, PARVO MOLE,
MAGNO MYSTERIIS:

RECENS PER ANONYMVM
CORRECTO, A I. R. A. M.

Et
LUCENSIBUS TYPIS
EDITO.

OBSERVATIONES
SIGISMUNDI à S. MARIA
THEOLOGI

EX

SS. PATRIBUS, ET DO-
CTORIBVS,

Præsertim

ORDINIS PP. PRÆDICATORUM
DESUMPTÆ.

ALTSTEDIJ,
Typis JOSEPHI de GRANGIIS,
Anno M. DC. LXXX.

Hic in terra degentes multos errores lapsusque committimus, in Libro tamen Generationis JESU CHRISTI MARIA, nec minimum quidem errorem deprehendimus. Nullâ Liber hic Immaculatus eget correctione. *P. F. Raphaël Delaminez Ordinis Prædicatorum, Conc. 2. in Nat. B. Virg.*



0300 34267

 (S):(S):(S):(IHS):(S):(S):(S)

OBSERVATIO,

De

Correctione Antiquissimi Of-
fij de Immaculata Conce-
ptione

B. VIRGINIS.

§. I.

*Correctionem non esse admittendum,
& quare.*

PRodit Anno 1679. Decre-
tum quoddam nomine Rev. P.
Magistri Sacri Palatij, ex Ordine
PP. Prædicatorum, quo prohibi-
tum est Officium parvum ab immemo-
rabili tempore à devotis MARIÆ Ma-
tris DEI cultoribus recitari solitum, de
Immaculata Conceptione B. Virginis,
quod incipit *Eia mea labia nunc Annu-
tiate, Laudes & præconia Virginis Bea-
ta, &c.* Hymnus ad Matutinum: *Salve
Mundi Domina, Calorum Regina, &c.*
Visum est multis viris doctis hoc Decre-
tum

tum primâ fronte subreptitium ex pluri-
 bus causis, præsertim quod præferret
 nomen Patris Magistri Sac. Palatii, quem
 constat esse Dominicanum, & eo ipso in
 hac materia (vt totus Orbis pridem cla-
 mat) Judicem suspectum, qui in omni
 Jure tam Civili, quam Canonico recu-
 sari possit. Conceditur enim Exceptio-
 nis remedium adversus testes & Judices
 ad defensionem partium litigantium,
 quæ est de jure naturali l. vt vim. ff. de
 Just. & jure. l. I. §. cum arietes. ff. *Si qua-*
drup. pauper. dic. l. scientiam. §. qui cum
aliter. ff. ad leg. Aquil. Et. c. 1. de sent. &
rejudicata. in 6. & c. quatuor. II. q. 3 Et.
c. suspicionis. de Offic. deleg. c. cum speciali de
appellat. c. quia suspecti 3. q. 5. &c. Cum
 ergo luce meridiana clarius sit PP. Do-
 minicanos acerrimos & solos nunc (in-
 ter Catholicos) oppugnatores esse Im-
 maculatæ Conceptionis, seque toti reli-
 quæ vniuersali Ecclesiæ Catholicæ oppo-
 nere, merito in hac materia illorum Ju-
 dicium declinari potest & recusari. Tum
 deinde videbatur hoc Decretum contra-
 ire Bullæ fel. record. Alexandri Papæ
 VII. in qua districtè prohibet sub pænis,
 & censuris contra piam sententiam &
 cultum Immaculatæ Conceptionis quo-

quo modo, directè vel indirectè, aut sub
quouis prætextu, seu occasione, scripto seu
voce, loqui, concionari, tractare, &c.
Ideoque censuerunt viri docti supplican-
dum suæ Sanctitati, vt si quod tale De-
cretum (vti præfertur) emanasset, id sua
Sanctitas annullari & revocari juberet;
cum nulli posset occurrere quidquam in-
conueniens, aut contra fidem, aut con-
tra bonos mores in dicto Officio conti-
neri. Quod an factum sit, me latet.
Interim non multo post prodijt illud Of-
ficium correctum & expurgatum, quasi
Lucæ impressum, quod tamen lyncei o-
culi non Lucæ, sed alibi sub prælo gemu-
isse viderunt. Utrum etiam illud corre-
ctum Officium prodierit authoritate A-
postolica, vel jussu Magistri Sac. Pallatii,
nondum rescij, sed quidquid sit de hoc:
vbicumque sit impressum, & à quocun-
que correctum, certè absque vlla neces-
sitate correctum est, & corrector osten-
dit se parum esse versatum in Latinitate,
& in libris Sanctorum Patrum.

Proinde supplicandum omnino est
Sanctissimo Domino N. Innocentio Pa-
pæ XI. vt innocens Officiolum omnibus
devotis Marianæ innocentiae cultoribus
acceptissimum, indemne seruet, & illud

recitare assuetos , in pacifica plusquam
vnius seculi possessione manuteneat , ex
sequentibus rationibus.

Primo quia hoc Officium creditur
approbatum ab ipsa Deipara Virgine , ab
hinc ante annos centum. Nam recitare
illud consuevit , & vt aliqui putant ipse
primus conscripsit , Venerabilis DE I
seruus Alphonfus Rodriquez Soc. JESU
Religiosus ; qui Anno 1617. sanctè obiit
in Majorica , tanta apud populum & v-
niversam illam Provinciam relictâ opi-
nionem sanctitatis , vt audita ejus morte
non suffecerint sex Sacerdotes Societatis
JESU recipiendis Rosariis accurren-
tium , vt venerabilis viri corpus attingerent , sed in subsidium etiam accesserint duo Patres Dominicani. De hoc Sotuvellus in Bibliotheca Romæ nuper edita testatur : *Scrispsit imperio B. V. (vt opinio fuit) eas preces quibus consueverat eam quotidie salutare , quæ postea Typis excusa circumferuntur : hæ sunt :*

1. Corona Charissima , & Amantissima
Domina Matris DEI.
2. Litanie
ejusdem.
3. Sanctissimum Officium
Purissimæ & Immaculatæ Conceptionis
ejusdem Deiparæ, &c.

De hoc eodem Venerabili viro pri-
dem

dem scripsit Michaël Julianus in ejus vi-
ta Hispanicè conscripta in hæc verba re-
lata à Cismontanis in Regeſto Immacu-
latae Conceptionis. *Quadrageſima Anni*
& *amplius fluxerunt*, ex quo Officium Im-
maculatae Conceptionis quotidie recitabat:
fuit enim huic mysterio cum primis devo-
tiffimus: & Beatiffima Virgo eam devotio-
nem ſibi valde placere illi declaravit, &c.
De hoc ipſo etiam agunt Franciſcus de
Torres, Petrus de Alva. Nierembergius.
Bourghenius. Velasquez, Thomas Fran-
ces, & alij plures. Unde cum ipſa B. Vir-
go approbaverit & ſibi placere aſſeruerit
hoc Officium, non eſt æquum levi aut
nulla de cauſa illud ſive prohibere ſive
corrigere. Imò cum ipſe idem P. Magi-
ſter Sac. Palatii Raymundus Capifuccus
approbaverit librum Nathanëlis Sotuel-
li, ex quo paulo ante retulimus, quod
imperio B. Virginis ſcriptum ſit hoc Of-
ficium, videtur omnino rationi conſen-
taneum, vt ſibi non arroget eam pote-
ſtatem cenſurandi, quod approbavit B.
Virgo, nec corrigendi quod ipſa non in-
tendit corrigere, cum ſibi placere dixerit,
nec improbandi, quod ſemel ipſemet in-
directè approbavit.

Mich. Jul.
in vita
Ciſin Reg.
col. 543.

Torres de
Concept.
fol. 532.

Alma Mi-
lit. Maria.
Nieremb.
in vita §.

13. Bourg-
heſ. de pa-
troc. B V.

c 10. Velas-
de Immac.
lib. 4. diſſ.

9 adn. 3.
Frances
Certam.

ſchol. n.
116.

Secundo, quia hæc nova correctio
eſt,

est, tacita reprehensio omnium antecessorum Magistrorum Sacri Palatii, quibus cura censuræ librorum incubuit à centum & amplius annis, quasi illi non fuissent tam oculati & accurati, ut in Officio per omnes Provincias centies & milies reimpresso adverterent errores, quos solum P. M. Raymundus Capi succus observavit, vel fortè aliquis ejus collega, qui ipsum stimulavit.

Tertio, admessa semel tali correctione Patres Dominicani, qui semper præsent sunt Sacro Palatio, non cessabunt etiam in alijs pijs devotionibus rimari aliquas correctiones non necessarias, quibus fideles percellentur ac turbabuntur, sicuti turbati sunt ex hac ipsa correctione Officij. Experientia enim diuturna constat illos omnia excogitabilia moliri contra piam sententiam, nec destituros donec à Sede Apostolica coërceantur.

Quarto, quia nulla omnino est necessitas correctionis, cum omnia illa, quæ corriguntur, vel malè corriguntur, vel ostendi possunt conformia dictis & scriptis sanctorum Patrum, ut mox videbimus.

Quinto, vnum & alterum punctum correctionis sapit exiguam peritiam linguæ

guæ Latinæ proprietatum, & in lectione Sanctorum Patrum industriam vt mox videbimus.

Sextò, quia hæc correctio non alium videtur habere finem, quam vt labefectentur quæ hæctenus pro pia sententia apud Sedem Apostolicam sunt obtenta, & oppugnatur tacitè Bulla Alexandri Papæ VII. declarans quo sensu celebret Ecclesia Conceptionem Deiparæ, nempe quod in primo instanti animationis fuerit præventa gratia divina, & nunquam peccato originali infecta Mater DEI. Has & alias ob causas instanter supplicandum esset suæ sanctitati, vt memoratum innocens Officium in primo suo statu indemne concedat, ac contra Adversarios defendat.

§. II.

Puncta quæ in Officio correctæ sunt.

COrriguntur paucula, & illa non necessaria, vt constabit ex sequentibus.

I. Incipit Officium:

*Eja me a labia nunc annuntiate,
Laudes & præconia Virginis Beate.*

Non placuit correctori vox *Beata*,
ideò reposuit ejus loco *Immaculata*, a-
deoque vult vt dicamus:

Eja mea labia nunc annuntiate,

Laudes & præconia Virginis Immaculatae.

Quæ rogo necessitas hoc corrigendi? an vt fit melior rhythmus? quia scilicet *Annuntiate* est quinque syllabarum, & *Immaculata* etiam quinque syllabarum, vtrumque exit in *ata*. Hic corrector non videtur esse bonus Poëta: licet enim hæc non sint metra vel carmina ex arte, ad Poëtas tamen spectant etiam rhythmici, qui solent quantum fieri potest, observare numeros, tametsi non fervent quantitatem; solent etiam observare euphonia, quæ longè melior est in prioribus versibus quam in correctis: quia in his redundant duæ syllabæ, in prioribus vtrobiq; sunt tredecim pari numero, & gratâ euphonia. Deinde qualis error iste est appellare Virginem *Beatam*? quid communius, quid antiquius quam hoc Epitheton Deiparæ? in quem ergo finem corrigi debet? nempe vt videatur Corrector aliquid correxisse, tametsi necessarium non sit. Verùm latet anguis in herba, quem non quilibet animadvertit. Nam per hoc vult Corre-

ctor

Et or illud Decretum subreptitium Anno 1644. in Cænobio Minervæ fabricatum, & evulgatum initio regiminis Innocentij X. roborare, & in praxim deducere, cum præjudicio piæ opinionis : vti latè ostenderunt Cismontani in Armamentario Seraphico, Antonius Calderon, Franc. Guerra, Amedæus Salyus, & alij. Præcipiebat illud decretum ne titulus *Immaculata* villo modo applicaretur Conceptioni, sed solum Virgini, adeoque ex omnibus libris debuisset expungi *Immaculata Conceptio*. Et licet ostenderint Cismontani, ex vivæ vocis oraculo Innocentij Papæ X. illud Decretum se inscio & insalutato evulgatum, & per Hispanias sparsum, reperti tamen sunt postmodum, qui adjungebant illud prædicatum *Immaculata Virgini*, non verò Conceptioni : collimando haud dubiè ad scopum intentum, quo labefactarentur piæ sententiæ fundamenta. Et licet videatur æquivalenter exprimi pia sententia cum dicitur *Immaculata Virgo*, & *Immaculata Conceptio*, imò vox *Conceptio* solitariè accepta non aliud significet quàm *Conceptio*, quàm colit Ecclesia, quæ est pura & Immaculata, vt declaravit Alexander VII. aliter tamen hæc usurpant,

Cism. Armam. col. 6. & seqq. Ant. Galde. lib pro tit. Immacul. Amed. Sal. cont. Lin. & cletum. Frances in Certam. Scholast. Guerra. in Majest. gratiarum.

& explicant Adversarij piæ sententiæ, quare cum totum Officium memoratum, de quo agimus sit protestativum Immaculatæ Conceptionis, nihil opus est loco vocis *Beata* substituere *Immaculata*.

II. Secundum quod corrigitur est Versiculus post collectam : *Domina exaudi orationem meam*, vbi pro voce *exaudi*, jam reponitur à Correctore vox *protege*. Hæc correctio est impertinens, & sapit ignorantiam proprietatis latinæ linguæ. *Protegere* sonat tegere, defendere, tutari, arcere injurias. Sed cur deberet defendi oratio? quæ illi possunt inferri injuriæ cum sit elevatio mentis in Deum? Orantes debent defendi ab insultu & impedimento orationis, non ipsa oratio : vnde si diceretur *Domina protege me orantem*, esset proprietas sermonis. Dicere verò *protege orationem meam* idem est ac *protege cogitationem meam*: locutione impropriâ & tamen non metaphorica. Sed quare obsecro non deberemus dicere *Domina exaudi*? an quia hic Versus dici solet ad Deum ab Ecclesia in horis Canonicis & precibus sacris : *Domine exaudi orationem meam*; quasi per hoc parem D E O faceremus Virginitem.

nem. Sed nunquid etiam dicitur in iisdem horis *Deus in adiutorium meum intende*, & tamen in Officio toleratur: *Domina in adiutorium meum intende*, nec emendatur hoc à correctore. Fortè exaudire preces est solius Dei, non B. Virginis, non etiam Sanctorum? Sed hoc videtur favere hæreticis, qui docent non esse invocandos Sanctos, quia nos audire non possunt. Si ergò licet dicere *Sancta MARIA ora pro nobis: Sancte Petre, ora pro nobis*: cur non liceret etiam dicere *S. Maria audi nos, vel exaudi orationem meam*, quâ scilicet te oro, vt mihi gratiam hanc vel illam à Deo impetres; non enim intendimus à MARIA eo modo exaudiri sicuti à DEO, sed mediante illâ exaudiri à DEO: & tantundem hoc sonat, ac dicere *Promove orationem meam, adjuva orationem meam*, quæ esset magis propria locutio, quam per vocem protegere. Et si potest B. Virgo adjuvare, quare non exaudire, aut velle intercedere juxta sensum Orationis?

S. Augustinus orabat ad B. Virginem: *S. August. Admitte preces nostras intra sacrarium* serm. 18. de SS.

EXAUDITIONIS, annon hoc æquivalenter sonat *exaudi orationem meam*?

S. Bernardus etiam agebat: *Mentem & oculos neg. ad B. V.* S. Bernar. serm. Pa-

oculos pariter cum manibus ad te Regina
 Mundi attollimus, & coram tua Celsitudi-
 nis gloria genuflectimus, cervicem inclina-
 mus, ac plenis suspiriis ad te preces in cæ-
 lum transmittimus. Tu altitudo cæli bea-
 tos oculos tuos, &c. ad tuos supplices in
 hanc mundi miseriam projectos, de alto in-
 elinare non despicias, &c. Sed expressissi-
 mè S. Bonaventura Doctor Seraphicus
 & S. R. E. Cardinalis in Pfalterio Maria-
 no multoties exaudiri rogat à B. Virgine
Ad te Domina clamabo & EXAUDIES
me. Ps. 27. *EXAUDI gemitus suspiran-*
tium ad te, & non spernas vocem invocan-
tium nomen tuum. Ps. 28. *EXAUDI*
Domina orationem meam, & ne contem-
nas deprecationem meam. Ps. 54. Et pla-
 nè in terminis prout in Officio nostro est
 positum: *Domina EXAUDI orationem*
meam: & clamor meus ad te veniat. Ps.
 101. Et rursus: *Domina exaudi oratio-*
nem meam, percipe tuis auribus supplica-
tionem meam. Psal. 142. Plura talia apud
 hunc Sanctum prætermitto: solum no-
 to extare ista inter Opuscula minora edi-
 ta & approbata Parisijs An. 1647. *Vati-*
cana editionis codicibus ex toto conformia,
 vt testatur Joan. Claud. de Ville in Dio-
 cesi Lugdunensi librorum censor. Sed
 quæro

quæro ex Correctore quid sit plus, *Exaudire*, an verò *Liberare*? utique *Liberare*, quia vox *Exaudire* potest solum referri ad intercessionem, liberare verò ad actuale auxilium & succursum, & tamen ipsi PP. Dominicani utuntur hac orandi formulâ ad Deiparam in Litaniis Rosarij *Libera nos Domina*. Sic Antonius de Rozado Ord. Prædicato. Tract. de Rosario impresso Anno 1622. fol. 385. habet: *Per Immaculatam Conceptionem Tuam, Libera nos Domina. Per Nativitatem & beatam Presentationem tuam, Libera nos Domina.*

Joannes Charron Doctor Parisiensis Ord. Prædicato. in libro dicto *Le Sacre Rosaire*, impresso Viriduni Anno 1620. habet: *Per Immaculatam Conceptionem tuam, Libera nos Domina.*

Joannes Sagastizabal Ord. Prædicatorum, in libro dicto: *Exhortacion à la Santa devocion, &c.* impresso Cæsaraugustæ Anno 1597. habet: *Per purissimam Conceptionem tuam, Libera nos Domina.*

Ludovicus Vulglienque Ord. Prædicatorum in libro: *Le thresor des Indulgences du Sainct Rosaire.* impresso Parisiis Anno 1605. fol. 65. in Litanijs ponit: *Per sanctam Conceptionem tuam, Libera*

nos Domina. Denique Magistro Palatij
opponimus Magistrum Palatij Nicolaum

Richard. in Richardium, vulgo appellatum *Mon-*
Marial. *strum*, qui in suo Mariali, quod aliquan-

do legi, nunc ad manum non habeo, as-

ferit: *Idem esse dicere Christe audi nos, &*

MARIA audi nos, quod licet reprehendat Petrus à Valle clausa, potest tamen

habere sanum sensum, si cum sale acci-

piatur, & saltem hinc evincitur in Offi-

cio non esse corrigendum: *Domina exau-*

di orationem meam. Si enim oramus ad

Virginem debet nos audire, si volumus

ut nobis gratiam impetret à Filio, debet

exaudire: quod est Ecclesiæ Catholicæ

& fidei dogmatibus conforme, id verò

negare periculosum. Ergo nulla etiam

in hoc puncto correctione est opus.

III. In primo Hymno ad Matuti-

num dicitur:

Salve plena gratia, Clara Lux divina.

Non placuit correctori, euphonia

rhythmi, vult reponi *Clara luce divina.*

Causa correctionis esse dicitur, quia præ-

dicatum seu titulus *Lucis* soli Christi pro-

prius est, juxta illud Joannis: *Non erat*

ille lux (nempe Joannes Baptista) *sed ut*

testimonium perhiberet de lumine. Sed hoc

non obstante dixit Christus de se: *Ego*

sum

sum lux Mundi, & nihilominus etiam de
 Apostolis: *Vos estis lux mundi* Nempè per
 analogiam ad principale analogatum.
 Christus vt causa principalis illuminati
 mundi, Apostoli verò vt causæ instru-
 mentales. Quare autem Joannes Bapti-
 sta negetur fuisse *Lux*, cum futrit major
 Apostolis, rationem assignat Hugo Car-
 dinalis, quia ipse non prædicavit Evan-
 gelium novæ legis, nec fecit miracula;
 appellatur tamen *Lucerna ardens & lu-
 cens*. Atque ita cum Beata Virgo fuerit
 Apostolorum Magistra & dignitate præ-
 celluerit omnem creaturam, proxima
 DEO, quid vetat illam appellare LU-
 CEM? Sic illam nominarunt *LUCEM*
nostram Innocentius Papa III. Jorda-^{Innoc. III.}
 nus, & Philippus Abbas. *LUCEM*^{serm. 2. de}
mundi nuncupavit S. Laurentius Justi-^{Assump.}
 nianus. Imò non obstante quod Joannes^{Jordan. p.}
 Evangelista dicat de Christo: *Erat LUX*^{14 Phil.}
vera, idem epitheton Virgini tribuere^{Abb lib. 6.}
 non veretur Richardus à S. Laurentio,^{in Cant. c.}
 cum ait: *De hac LUCE dicitur* Genes. I.^{10.}
Dixit DEUS fiat lux: quasi jam diceret^{Rich. à S.}
MARIÆ: Dedi te in LUCE M gentium^{Laur. lib.}
 Isai. 94. Unde sequitur: *Et vidit Deus*^{de Laud.}
LUCE M quod esset bona. Sicut enim ne-
mo bonus sicut solus Deus; sic nulla anima

MARIÆ comparata invenitur perfecta.
 Et paulò infra : *Tempore tenebrarum omnia sunt in chao & confusione : sic factum est mundo per peccatum Evæ : sed MARIA LUCE VERA* veniente ad formas proprias omnia quasi de tenebris evaserunt. Ecce Christus *LUX VERA*, & *MARIA LUX VERA*, sed in diverso sensu, salva Christi prærogativâ : cum à Christo *Lucem* participaverit *MARIA*, ex mente S. Bernard. *Ipse enim Sol Justitiæ de te processurus ortum suum quadam matutina irradiatione præveniens in te LUCIS suæ radios copiosissimè transfudit, quibus potestates tenebrarum, quas Eva produxerat, in fugam convertisti.* S. Bonaventura applicat Deiparæ illud Sap. 7. *LUCI comparata invenitur prior.* Et S. Joann. Damascenus, cum S. Laurentio Justiniano appellant Deiparam *Fontem LUCIS.* Eodem ingenio etiam Patres Dominicani vetustiores, inter quos B. Albertus Magnus, allegatis verbis S. Anselmi : *Decens erat ut eâ puritate qua major nequit intelligi, Virgo illa videret, &c.* Sic differit : *Dicimus ergo quod puritas hæc est ab originali non dico distantia, sed segregatio, & ad primam LUCEM quantum possibile est pura creatura DEIFORMIS appro-*

S. Bernard.
 serm. Pa-
 negyr. de
 B. Virg.
 aliàs de
 verbis
 Apocal.
 S. Bonav.
 in Spec. c. 3
 S. Joa. Da-
 mascen. in
 Menæ.
 Laur. Ju-
 stin. serm.
 de Nat V.
 B. Alb. M
 in Marial
 c. 25.

*xi*matio. Sed & alibi in eundem sensum, ait: Puritas sequitur naturam luminis & luminosi, quod autem plus participat de natura LUCIS plus habet puritatis, &c. ut dicit Augustinus super Genesim ad litteram, magis propriè dicitur LUX Spiritualis, quam LUX corporalis, &c. ergo erit major puritas Spiritualis secundum maiorem convenientiam ad summam spirituales LUCEM, quæ est Deus, qui LUX est in tenebris in quo tenebra non sunt ullæ &c. Et post pauca: Secundum gratiam autem, quæ est quasi lumen creatum procedens à LUCE increata, ubi major est participatio, ibi major ad primam LUCEM appropinquatio, ergo ubi gratia in summo, ibi appropinquatio in summo: Sed in Beatissima Virgine respectu omnium aliarum creaturarum unitarum, fuit gratia in summo, ergo appropinquatio ad summam LUCEM in summo, ergo puritas in summo. Hæc B. Alberti verba non solum probant Deiparam merito vocari LUCEM, sed etiam LUCEM divinam, cum ejus approximatio ad primam LUCEM sit in summo, & Deiformis, & consequenter simul probant Immaculatè conceptam Deiparam. Accedat etiam testimonium S. Vincentij Ferrerij ejusdem

Idem B. Albertus in Marial. c. 178. apud Didac. de Avendan. To. II. Theol. Probl. prælud. S. 14.

dem Ordinis Prædicatorum, cujus hæc sunt verba : *Dixitque Deus Fiat LUX. Ecce Conceptio Virginis MARIÆ LUX dicitur illa benedicta generatio Virginis MARIÆ, quia sine tenebra culpæ facta est.* Consentit hisce S. Antoninus Florentinus ejusdem Ordinis : *Primum opus est Conceptio, ibi dicens : Fiat LUX, in hoc præfigurans, & præordinans Conceptum Virginis, cujus vita gloriosa LUCEM dedit seculo.* Denique & Joannes Lopez ejusdem instituti Prædicatorum : *Duo sane admiranda copulavit Spiritus sanctus in Virgine cum primum Concepta est. Fecit ut in calis oriatur Lumen indeficiens, id est felix illa anima ab exordio creationis in utero Matris LUCE, quæ deficere nunquam possit perficeretur, LUCE quæ occasum nesciret.* Sed hæc fortè non respiciunt directè personam Virginis, nec evincunt ut dicatur Virgo *LUX divina.* cum hic author intelligat per Lucem, gratiam Deiparæ collatam. Promamus alia. S Joannes Damascenus in Menæis Græcorum ait : *Adolescentularum chorus ille divinus, tanquam afflatissimus Numine, Te excellenter in mulieribus pulchram decantat, ipsius videlicet DIVINITATIS splendoribus adornatam.* Adolescentulas

vocat

S Vinc. Fer.
serm. de
Nat. B V.
S. Antonin.
4. p. tit. 14.
s. 4.

Lopez. in
Festo Con-
cept. n. 26.

S. Jo Dam.
in Men. die
11. Janua.
Ode. 1.

vocat *chorum divinum*, cur nobis non liceat diceret de Virgine *LUX divina*, quam idem affirmat *DIVINITATIS SPLENDORIBUS* adornatam. S. Sabas in eisdem Menæis agebat de Virgine: *Incorruptus uterus divine prorsus Puella*. Si convenienter dicitur Deipara *DIVINA PUELLA*, cur non etiam posset dici *LUX DIVINA*. Advocemus iterum PP. Dominicanos. P. F. Franciscus de Figueroa Ord. Prædicatorum impressit Anno 1642. *Tractatum de SS. nomine MARIA vbi Deiparam appellat Emperadriz de los cie-*
los, y Madre de Dios MARIA divina. Balthasar Arias Dominicanus in Sermo-
nario impresso Valentia Anno 1614. Virgo fuit sicut Dies cæli, sine nocte, LUX sine tenebris, gratia sine culpa &c. In Con-
ceptione ingressa est in Virgine LUX divina gratia, non aqua diluvij generalis, qua fuit culpa peccati originalis. Compone illa *LUX sine tenebris, & LUX DIVINÆ gratiæ. LUX est MARIA, & in ea est LUX DIVINÆ gratiæ, cur non igitur possit nuncupari LUX DIVINA.* Armandus de Bellovisu antiquus Doctor ex Ordine Prædicatorum: *Dixitque Deus Fiat LUX, & facta est*

*Figuer. a-
pud Alvam
in Mil.
col. 425.*

*Arias ser.
de Purissi-
ma Concep.*

*Armand.
Collat. 71.
in Serm.*

LUX: hoc est sanctificetur & illuminetur
 DIVINA gratia. Et divisit LUCEM à
 tenebris, id est Virginem illuminatam, à te-
 nebris peccati originalis, &c. Rursum idem
 Armandus: Beata Virgo à principio sua
 creationis & Conceptionis LUCE clarissi-
 mâ absque nubibus rutilavit. Et in eadem
 Collatione post medium: Ipsa est Specu-
 lum sine macula, & LUX nostrarum ma-
 cularum ostensiva, &c. Ideò debet quilibet
 peccator dicere de ea illud Sap. 7. Super sa-
 lutem & speciem dilexi eam, & proposui pro
 LUCE habere illam, quoniam inextingui-
 bile est lumen illius. Ita ille. Joannes Di-
 mata Dominicanus in Mariali, Tract. de
 fuga in Ægyptum appellat Virginem &
 S. Josephum Nubes DIVINAS que ce-
 labant solem. Si licet nominare Virgi-
 nem Nubem DIVINAM, cur non
 LUCEM DIVINAM? Idem alibi
 vocat DIVINAM matrem. Amplius
 adhuc audent nonnulli cum appellant
 Deiparam per quandam animosam hy-
 perbolem DEAM. Ut de cæteris ta-
 ceam occurrunt PP. Dominicani ali-
 quot. Unus est Cornelius Tiraboscus in
 Cantico de B. V. qui sic canit:

La Lucerna nel tempio sempre accesa

Tu semina Dea, tu Virgen gloriosa. Ita
 in Impresso Venetiis An. 1643. Al-

Ibid. fol.
117.

Jo. Dimat.
 in Mariali
 de fuga in
 Ægypt. dis.
 § mihi fol.
168.

Alter est Magister Sacri Palatij Nicolaus Richardius, qui vt aliquid suo con-
 forme cognomini Monitrosus diceret:
 appellavit Virginem *Deum creatum,*
Deum mediterraneum, *Deum dimidia-*
tum, *quasi quartam personam,* *non secus*
habitam, *quam si divina persona esset,* &c.
 Ita in Mariali apud Petrum à Valle Clau-
 fa. Sed plures ejusdem fervoris ex eo-
 dem Prædicatorum Ordine possumus
 adducere, quorum tertius est B. Alber-
 tus Magnus: quem Hippolytus Marra-
 vius appellat *Æterna sapientia Matris Se-*
cretarium fidelem. Hic ergò de Virgine
 loquens ait: *Cum B. Virgo sit Dei aman-*
tissima, & *mirabilissima,* & *ad divinas il-*
luminaciones omnibus aliis creaturis im-
proportionabiliter plus extensa, *ipsa potissi-*
mè vocabitur Dea Dearum. Quartus est S.
 Antoninus Florentinus ejusdem Ordinis
 exclamat ad B. Virginem: *O sancta Dei*
Mater & hominum! *O sancta Virgo Virgi-*
num! *O sancta Mediatrix hominum!* *O*
Domina Regina cælorum! *O Dea Deiformi-*
tate actuum! Quintus est F. Justinus Mie-
 chovius ejusdem Ordinis Prædicatorum,
 qui scribens super Litanias, inquit: *Si il-*
lam Deam cum D. Gregorio Nazianzeno
appellamus, *Dei honori derogatum nihil vo-*
lumus.

Richard. in
 Mar. Petr.
 à Vall. fol.
 97.

B. Alb M.
 in Marial.
 sup. Missus
 est c. 195.

Marrav.
 in Not. ad
 Marial.
 Isid. Thessa.

S. Antoni.
 in summa
 4. P. tit. 35.

c. 44.

Just. Mie-
 chov. in
 Lit. Laur.
 Disc. 265.

*lunus. Est enim Dea, non aliena à Deo, sed intima Dei, soror Dei, sponsa Dei, Genitrix Dei, solium gloriae Dei, templum Dei, sacrarium totius Divinitatis. Est Dea charismate gratiarum, ab ipso gratiae fonte super omnes creaturas repleta. Dea est Virgo MARIA, quia Deum Deorum Salvatorem nostrum, de suo immaculato utero mundo profudit. Quod si illos scriptura Deos appellat, ad quos sermo Dei factus est Joan. 10. Cur Deam appellare non licebit eam, in qua Verbum Caro factum est. Applaudo huic illationi, sed à pari prætendo homogeneam illationem approbari. Quod si Patribus Dominicanis licet nuncupare Deiparam Deam, cur nobis non licebit eam in Officio appellare LUCEM DIVINAM? Fortè autem hæc omnia nondum sufficiunt correctori, ecce ex antiquis Patribus Theoleptum Philadelphiensem, qui in terminis vt prætendimus, nominavit Virginem Immaculatam intactam, LUCEM DIVINAM. Non est ergò vllà in Officio opus correctione, sed potiùs alibi emendandum prædicatum *divinus*. Fr. Hiacynthus Choquetius Ord. Prædicat. de S. Thoma Aquinate loquens: Ecce auditores DIVINUM dum adhuc viveret Cberubinum. Si S. Thomas DIVI-*

Theolep. in
 Can. de Ju-
 dic. apud
 Nieremb.
 Except.
 Trid., c. 14.

NUS Cherubinus, cur non B. Virgo LUX DIVINA? Joann. Anton. Aubermoncius in Oratione Encomiastica de D. Thoma, Anno 1650. impressa Lovanij hæc habet: *Erant Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius LUMINA, Lucerna erant, lampades erant, &c. Sanctus autem Thomas SOL: ita parùm ad ejus laudem est LUCEM esse. Solem esse? hoc quoque parùm, nisi ipse sit FONNS LUMINIS, de cujus plenitudine accipiant universi. Igitur ut volunt PP. Dominicani ad laudem S. Thomæ parùm est LUCEM esse, & ad laudem B. Virginis Matris Dei nimium est LUCEM esse. S. Thomas debet appellari EONS LUMINIS. at B. Virgo non debet appellari LVX divina, tametsi minus videatur sonare LVX divina, quam Fons LUMINIS. & tamen B. Virginem appellarunt Fontem LUMINIS, sive LUCIS. S. Gregorius Neocæsariensis, & Chrysippus: Fons LUCIS omnem hominem illuminantis. nempè instrumentaliter, & per quandam analogiam, cum Deipara generando Dei Filium imitata sit generationem Patris æterni, vnde Christus in Symbolo dicitur: LUMEN de LUMINE, Deus verus de Deo vero. Et sicut dicitur: Deus est*

Anberm. ap Alvarm. in Modo. edit 2 fol. 102.

Greg. Neocæsorat. i. de Annunt. Chrysipp orat de Deipara apud Rayn. in Nomend. Symbol. Apost.

Symbol. Athanas. ex substantia Patris ante seculum genitus. Ita etiam additur: Homo est ex substantia Matris in seculo natus. Et hinc appellatur

Hesych. or. 2. de Deip. Pet. Dam. ser. de Assump. Bernard. serm. 4. in Salve Reg. Hug. Victo. serm. 34. Bonv in spect. lect. 9. Virgo ab Hesychio Mater LVCIS. Et à B. Petro Damiani, S. Bernardo, Hugone de S. Victore, S. Bonaventura: *Aurora, de qua nascitur SOL justitia.* Quomodo autem S. Thomas sit Fons LVMENIS, aut æmulatus sit generationem æternam Patris, non intelligo, nisi velit Aubermontius eum parem Beatæ Virgini facere, imò superiorem, sicuti illum (odiosa comparatione) anteponebat sanctis Patribus primis Ecclesiæ Doctõribus: & demum parem Patri æterno, ut ipse sit Fons, & ab eo procedat Christus tanquam LVMEN de LVMINE. Potest tamen in hoc excusari si vocabulum LVCIS accipiat sicuti ejus collega Ignatius de Coutinno ejusdem Ordinis, ubi ait: *Cum Christus ipse esset LVX etiam voluit Discipulos suos esse LVCES, ipse per essentiam, & hi per participationem. Ego sum LVX Mundi. Vos estis LVX Mundi.* Et in hoc sensu non debet, à fortiori, negari Deiparæ prædicatum LUX DIVINA. Sic quippe etiam ab Ecclesia Græca, æquipollentibus verbis appellatur: *Salve Mens DIVINORVM IGNIVM*

Menæa die 7 Martij. in vesp.

IGNIVM sublimibus velut excubiis FVL-
GENS Salve SPLENDOR, &c. Cu-
jus nobis EXORIENTS LVMEN occa-
sum non habet. Et S. Bonaventura: *Ani. S. Bonav.*
ma MARIÆ profundissimè unita est in spec.
LUCI ÆTERNÆ. Unde S. Bernardus lect. 6.
ait: *Profundissimam divinæ sapientiæ pene-*
travit abyssum, ut quantum sine personali
unionem creaturæ conditio oatur LUCI illi
inaccessibili videatur unita. Redeamus ad
PP. Dominicanos: In exemplari vetusto
sermonum Armandi de Bellovisu, cujus
paulò ante meminimus extat hic titulus:
Fratri Armandi de Bellovisu Sac. Ord. Præ-
dicatorum & Theologiæ Professoris eximij,
sermones plane DIVINI. Ecce prædica-
tum DIVINÆ negatur Deiparæ, &
conceditur sermonibus vnius Fratris Do-
minicani. Impressi sunt illi Sermones
Lugduni Anno 1525. Rursum extant
Sermones Gabrielis de Barletta Ordinis
Prædicatorum cum hoc titulo: *Sermones*
Celestis ac DIVINI, omnium præclarissi-
mi Concionatoris, sacrarum literarum so-
lennissimi Professoris, Gabrielis de Barlet-
ta, &c. Prodierunt Venetijs, Anno 1585.
Et quis fuit iste Barletta? tam *Divinus*
Concionator? quem Petrus à Valle no-
minat *effrontem Chammum, & impudora-*
tum.

tum. Hic enim tractans quomodo Samaritana loquens cum Christo ad fontem, potuerit cognoscere quod Christus esset Judæus: dixit enim *Quomodo tu Judæus cum sis*, respondet: *Samaritanam cognovisse Christum esse Judæum, videndo eum esse circumcisum. At quomodo hoc videre poterat mulier?* inquit Petrus: *Non enim Christo per incogitantiam excidit vestem reducere, & monstrare velanda corporis. Oportuit ergo juxta Fratrem Barletam ut Christus meditato objecerit visui Samaritana, &c.* Hic idem Barletta tractans alibi de missione Spiritus sancti, quærit cur Spiritus sanctus, Christo jam per decem dies in cælum subvecto, distulit descendere, & exsolvere promissum Christi: & causam refert *In dissensionem ortam inter Patrem & Spiritum sanctum, eo quod iste procrastinaret & differret descensum, veritus tractari, sicut Christum conspiciabatur tractatum.* Unde tandem *Statuit descendere alia forma quam humana, ne malè haberetur sicut Christo sub humana forma contigerat.* Et hic igitur Barletta, appellatur Concionator DIVINUS, Beata autem Virgo non debet dici LUX DIVINA. Rogo quæ conventio LUCIS ad tenebras?

IV. In eodem Hymno dicitur : *Te pulchram ornavit sibi sponsam in qua Adam non peccavit.* Sed corrigitur, & reponitur : *Sibi Sponsam que in Adam non peccavit.* Hic iterum Corrector quæsitivum nodum in scirpo, & non observavit Rhythmum in Officio, vbi sunt alterni versus similiter desinentes :

Terram, pontum athera :
Te pulchram ornavit
Sibi Sponsam, in qua
Adam non peccavit.

Ubi *athera*, & *in qua* sibi rhythmicè correspondent, cujus rationem non habens corrector vult reponi, & concordari *athera cum qua in.* Sed nulla est prorsus necessitas : quia licet communiter dicamus *nos in Adam peccasse*, juxta illud Apostoli : *In quo omnes peccaverunt*, quia scilicet Adam peccando tanquam caput omnium hominum totam posteritatem infecit. Nihilominus etiam subinde dicimus : *Iste homo est tam innocens ut Adamus in ipso non videatur peccasse.* Id est æquivalenter dicere, quod Adamus in illum non videatur transfudisse peccatum. Sunt enim hæc correlativa *Me in Adam peccasse, & Adam in me peccasse.* Et idem prorsus sonant, nec vllus hæc-
nus

nus Theologus hoc loquendi modo offensus est. Ratio desumi potest ex ipsa Theologorum doctrina de peccato originali; quia cum Adam peccavit fuimus nos ejus posterius unum corpus morale cum Adamo, ille quidem caput, nos membra; unde cum ille peccavit, peccavimus etiam nos cum illo, tanquam vi pacti unum cum illo. Sive ergo dicas Ego peccavi in Adamo & cum Adamo, sive dicas Adamus peccavit in me & mecum, cum sint hæc duo correlativa idem operantur in intellectu prudentis, qui non querit nodos in scirpo. Favet huic sensui dictum S. Augustini: *Cum subjectio peccati originalis caput sit Diaboli, tale caput MARIA contrivit, quia nulla peccati subjectio ingressum habuit in animam Virginis*: Quæ æquivalenter sonant, Peccatum non habuit ingressum in Virginem, Peccatum non maculavit Virginem, Adam non peccavit in Virgine, seu in persona Virginis, non representavit personam Virginis, sicut representavit personam cæterorum hominum. Nihil itaque opus est corrigere Rhythmum.

V. In Collecta etiam aliquid Correctori placuit, quo vulpem ageret, volens

S. August.
in cap. 1.
Genes. ap.
Francisc.
Guerram.
To. I. lib. 2.
fragm. 3.

huic sensui dictum S. Augustini: *Cum subjectio peccati originalis caput sit Diaboli, tale caput MARIA contrivit, quia nulla peccati subjectio ingressum habuit in animam Virginis*: Quæ æquivalenter sonant, Peccatum non habuit ingressum in Virginem, Peccatum non maculavit Virginem, Adam non peccavit in Virgine, seu in persona Virginis, non representavit personam Virginis, sicut representavit personam cæterorum hominum. Nihil itaque opus est corrigere Rhythmum.

lens videri fautor piæ sententiæ, & clanculum solidissimum vnum ex ejus fundamentis subruere. Nam ubi prius dicebatur: *Ut qui nunc tuam sanctam Conceptionem devoto affectu recolo*: vult Corrector mutare per additionem & dici: *Tuam sanctam & Immaculatam Conceptionem*. Quasi Epitheton *Sancta* non esset satis expressivum Conceptionis Immaculatæ. Vox *sancta* juncta Conceptioni, est tanquam includens ad inclusum respectu prædicati *Immaculata*, & plus sonat, quam *Immaculata*; adeoque illa additio prædicati *Immaculata* hoc loco est superflua, & versutè adjecta, vt per hoc enervaretur solidissimum fundamentum Theologorum piè sentientium, quo defacto probant in Officio Divino juxta dispositionem Pij V. pro vniuersa Ecclesia disposito, expressè agnosci *Conceptionem Virginis Immaculatam*, quia dicitur in Responsorio tertij Nocturni: *Quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem*: quod enim *sanctum* est, id etiam necessario est *Immaculatam*; econtra posset esse aliquid *Immaculatum*, & non sanctum. Propterea ad enervandum hoc argumentum Adversarij An. 1644. post evulgatum illud Decretum, de quo

supra

supra, duos libellos ediderunt, in quibus probare nitebantur vocem *Sancta*, (quam ex Officio Divino non audebant expungere) esse indifferens prædicatum ad protestandam piam sententiam, & non piam, posseque referri ad indeterminatum instans quo Deipara fuit sanctificata, quasi verò Conceptio sive animatio quæ fit in instanti, plura haberet instantia. Contrà hanc assertionem acriter pugnarunt Cismontani, & Antonius

Cism. Arman. f. 350. 255.

Calder. lib. pro tit. Immacul.

S. Bern Ep. ad Lugdun.

Bandell. in Offic. nov.

Calderonius Archiep. Granatensis, qui exclamavit: *Monstrum est Conceptio sancta, & non Immaculata: discrimen quod inter has voces comminiscitur Libellator somnium est non discrimen.* Certè D.

Bernardus si author est Epistolæ ad Lugdunenses vocem *sancta*, accepit etiam pro *Immaculata* cum scripsit: *Fuit procul dubio Mater Domini ante sancta, quam nata.* Eodem modo usus est hac voce S. Thomas Doctor Angelicus, & cæteri Thomistæ, usque dum Gregorius XV. ederet Bullam, qua vniuersaliter in Officiis Divinis mandavit usurpari vocem Conceptionis, sublata voce sanctificationis qua utebantur PP. Dominicani.

Et quidem Bandellus piæ sententiæ osor, agnoscens vim vocis *sancta*, scripsit:

scripsit: *Sanctitatem Conceptionis soli Chri-
 sto Sancto Sanctorum tribuamus.* Cum igitur
 vox *sancta*, sufficienter exprimat
 Conceptionem sine macula, non est o-
 pus hic illi adjungere alteram *Immacula-
 ta*. Nihil quidem vetat idem exprimi
 sæpius per plura Synonyma, sed hic opus
 non est synonymis, ne possint gloriari
 Adversarij, quod vim vocis *sancta* ut ad-
 ditæ Conceptioni enervaverint. Admis-
 so enim semel, quod in hoc parvo Offi-
 ciolo vox *sancta* non sit protestativa piæ
 sententiæ, haberent Adversarij animum
 idem asserendi de Officio Divino uni-
 versalis Ecclesiæ, ad quod etiam ipsi ob-
 ligantur. Eodem ingenio volebant in
 diversum sensum trahere nomen Con-
 ceptionis, & diversis instantibus appli-
 care post Gregorium XV. Fatentur enim
 Libellatores cum dicunt: *Annotanda* *Libell. n. 1.
col 7.*
*maximè est diversa acceptio hujus nominis
 Conceptio ante Gregorium XV. & post il-
 lum. Licet enim nomen Conceptio in suo
 proprio significato solum importet formatio-
 nem fetus in utero: ante Gregorium tamen
 apud multos idem valuit usus hujus nominis
 Conceptio, quod Conceptio Immaculata:
 unde FF. Prædicatores ad fugiendam omnem
 equivocationem, & melius propriam sen-
 ten-*

tentiam explicandam, utebantur voce sanctificationis, & cavebant à nomine Conceptionis. Sic illi, quos risit. Amedæus Salius, quasi vellent in sui gratiam à Gregorio XV. Calepinum aut Dictionarium Latinum reformatum, vt non amplius idem significet Conceptio post Gregorium XV. quod ante significabat. Et hæc obiter de quinto correctionis puncto.

VI. Ad primam legebatur versus in Officio Immaculatæ.

✠. *Ipse creavit illam in Spiritu sancto.*

✠. *Et effudit illam super omnia opera sua.*

Eccl. i. v.
9. & 10.

Hæc omnia verba desumpta sunt ex Sacra Scriptura Ecclesiastici i. v. 9. vbi dicitur de Sapientia: *Ipse creavit illam in Spiritu sancto, & vidit, & dinumeravit, & mensus est. Et effudit illam super omnia opera sua, & super omnem carnem secundum datum suum, & præbuit illam diligentibus se.*

Pro posterioribus Corrector reposuit: *Et exaltavit illam inter omnia opera sua.* Non video ullam causam hujus mutationis, nisi propter particulam *super*, nam si poneretur: *Exaltavit illam super omnia opera sua*, posset dici idem sensus allegoricè ex textu Scripturæ. Sed prior est

est cum majori emphasi & acumine, vt paulò post dicam. Sed cur non deberet dici B. Virgo exaltata super omnia, & solum exaltata inter omnia? Nunquid dicebat S. Joannes Damascenus: *Omnia* S Jo. Dam. orat. de Assumpt. S. Gregor. Naz. apud Montfort. in Dr. Sa- **SUPER** *AS, atque omnibus rebus creatis Dominaris. Et S. Gregorius Nazianzenus: Præ omnibus proxima DEO, cum sis omnium causa, ac proinde inexple-* cient. **SUPER** *cabilis, cum produxeris omnium entium Deum: sola igitur omnibus* S. Aug. ser. 20. ad FF. in Eremo. **SUPER** *eminentens creatis, & tamen nota omnibus. Et S. Augustinus ait: MARIA Mater electa, & SUPER omnes creaturas præelecta. S. Gregorius Magnus: Omnem electa creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. Rupertus in Cantica eodem sensu: Quandoquidem est Mater Regis coronati, quem constituit Dominus SUPER opera manuum suarum: ac proinde Regina constituta, totum jure postulat Filij regnum. Denique & S. Anselmus: Nihil tibi Domina æquale, nihil comparabile: omne quod est, aut SUPRA Te, aut infra Te est. SUPRA Te solus DEUS, infra Te omne illud quod DEUS non est. Et ipsa Ecclesia canit: Exaltata est sancta DEI Genitrix SUPER Choros Angelorum, non autem inter Choros, quia hoc admitteret*

cum aliis paritatem. Verùm in hoc non sisto, sed quæro, qua de causa non deberet in Officio manere ipse textus Scripturæ *Effudit illam super omnia opera*? Nam admisso, quod B. Virgo sit *SUPER omnia opera* infra Deum, sola est difficultas cur non deberet dici de ea: *Effudit*, quod sit *Effusa*. Verbum effundo dicitur propriè de liquidis, sed metaphoricè etiam dicitur de personis, & de moralibus, sic dicebat David: *Sicut aqua effusus sum*. Et rursus: *Effudi in me animam meam*. Item alibi: *Effunde super eos iram tuam*. Quorum sensus apud scripturæ Interpretes videri possunt. Textus Ecclesiastici: *Effudit illam super omnia opera sua*: in literalis sensu est, vti placet Hugoni Cardinali: *Super omnia opera sua: quia omnia opera Dei sapientiam Dei sua pulchritudine manifestant, & in ordine rerũ apparet ipsa sapientia superfusa. Et super omnem carnẽ, id est super omnem hominem cor carneum habentem. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus*. Jam certum est plurima quæ de sapientia divina dicuntur in sensu literalis, applicari posse, & defacto applicari B. Virgini in sensu mystico. Ut præteream hic Patrum authoritates, ipsa Ecclesia id nos docet, quæ in Missis de

Psal. 21.

Psal. 41.

Psal. 68.

Hug. Card.
in Eccles.

c. 1.

B. Virgine, & in Officiis Divinis multa ex libro Sapientiae, ex Ecclesiastico, ex Canticis Canticorum, & Proverbiis legi jubet, quæ multo minus aptari possunt Deiparæ, quam locus iste: *Effudit illam super omnia opera.* Cur ergò deberet tolli ex officio iste textus? Deinde admittitur prior pars hujus textus: *Ipse creavit illam in Spiritu sancto.* qui difficiliter explicari potest de Virgine, cur non admittitur posterior pars, quæ potest habere varium & meliorem sensum? nam si petit David ut Deus effundat iram super inimicos, cur non potest significare: *Effudit illam super omnia opera,* posuit illam Reginam & Dominam *super omnia opera?* Si dixit Deus apud Isaiam ad Ja- *Isai. 44.*
cob: *Effundam spiritum meum super se-* *v. 3.*
men tuum, & benedictionem meam super
stirpem tuam: cur non posset intelligi:
Effudit illam super omnia opera sua. Ma-
riam constituit vniuersi Dominam, pro-
tectricem, Reginam: vel ut sensus sit,
quem expressit S. Bernardus: *Magnifi-* *S. Bernar.*
centia tua super cælos, & super omnem ter- *serm. in*
ram gloria tua, ita ut nec in cælo inuenia- *Salv. Reg.*
tur creatura pura, quæ tuam dignè laudare
queat magnificentiam, nec in terra sit, quæ
gloriam tuam exprimere valeat. Vel ut

sensus sit : Sicut effudit Deus sapientiam increatam super omnia opera sua , ita Matrem Virginem sapientiæ matrem , cum filio in plerisque symbolizantem effudit , ac emanare fecit , ut possit dicere *Ego ex ore altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.* Ad hunc locum

Velasq. de
Immac.
Conc. lib. 2
Diss. 4.
adn. 5.

Velasquez : *Qua quidem verba præterquam quod omnes , qui in Deiparæ laudes excurrunt , & illa ei accommodant , mater Ecclesia Conceptioni ipsius signatè assignat. Et quidem per opportunè ut illam puram , & incontaminatam , ac proinde MARIAM*

S. Bonav.
ap. Velasq.
S. Bernar.
Sen. To. 2.
serm. 51.
art. 3. c. 1.
Rich. à S.
Laur. lib.
de laud. V.
Salaz. c. 3.
n. 2. Niern
Epist. 13.
Baëcz. To.
1. lib. 1. c.
4. § 5.
Novat To.
1 c. 3 q. 3.
Paulacc in
Leg. Celest.
consil. 9.

Filiam Dei asserat. Quid enim aptius explicet , quam MARIA ex ore Dei originem & ortum ducens. Applicant hunc locum Deiparæ S. Bonaventura , S. Bernardinus Senensis. Richardus à S. Laurentio , & plures alij , recentiores Salazar. Nierenbergius. Baëcza. Novatus. Lopez. & alij. Ex ipsis PP. Dominicanis egregiè in hanc thesin Dominicus Paulaccius : *Ego ex ore altissimi prodivi , quasi diceret : verum est quod omnes alia creatura sint ceu totidem Echo divina vocis , & profiliant ex infinito vocuo nihili. At ego qua per excellentiam essendi ex divina gratia possum dicere me potius generatam , quam creatam , prodivi ex ore Altissimi conditoris mei.* Et

ideò

ideo sicut ille, qui non est creatus sed generatus, est consubstantialis genitori, sic ego possum dicere, quod sim quasi pars halitus Spiritus divini. Hinc non sum solum Echo & umbra vocis divina, sed sum quasi vox ab aeterno loquentis. Denique & sensus esse potest Effudi illam super omnia opera, id est tanta illam perfudi gratia, ut de plenitudine ejus omnes accipiant. Est hoc ad Jo. Dimat. in Marial. de Annunt. disc. 4.

mentem Joannis Dimata itidem Dominicanani, qui ait: Sicut pluvia cadens inclusit se Deus in Virginali utero MARIÆ, & implevit illam tanta gratiâ, ut suâ superabundantia impleret ipsa creaturas. Annon hoc est: Effudit illam super omnia opera sua? Neque hoc ex seipso commentus est S. Petrus Dimata, sed hausit ex S. Petro Chryso-Chrysest. serm. 142.

logo, qui de Virgine inquit: Beata, quæ inter homines audire sola meruit præ omnibus, invenisti gratiam. Quantam? quantam superius dixerat. Plenam. Et verò plenam, quæ largæ imbre totam funderet, & infunderet creaturam. Imò hæc ipsa est sententia Divi Thomæ, qui ait: Unicuique à Deo datur gratia secundum hoc ad D. Tho. 3. p. q. 27. a 5. ad 1.

quod eligitur. Et quia Christus in quantum est homo ad hoc fuit prædestinatus, & electus ut esset Filius Dei, in virtute sanctificandi hoc fuit sibi proprium, ut haberet talem plenitudinem.

nitudinem gratiæ, quod redundaret in omnes: secundum quod dicitur Joannis 1. De plenitudine ejus nos omnes accepimus. Sed B. Virgo tantam gratiæ obtinuit plenitudinem ut esset propinquissima auctori gratiæ, ita quod eum, qui est plenus omni gratia in se reciperet, & eum pariendo quodammodo gratiam ad omnes derivaret. Rectè proindè etiam in hoc sensu de Virgine intelligi potest illud Ecclesiastici: *Effudit illam super omnia opera sua*, id est tantam plenitudinem gratiæ illi infudit, ut gratia illa redundaret effusa in omnes creaturas, id est creaturas rationales, quæ sunt creaturæ per excellentiam, juxta illud prædicte *Evangelium omni creaturæ*. Et sic à primo ad ultimum nulla causa est corrigendi in officio prædictum textum, & pro verbis scripturæ substituendi alia verba.

VII. In Completorio prius legebatur *Patens cali janua*, in correctione ponitur *Potens cali janua*: sed hoc videtur esse error Typographi, quia dicere Januam potentem, est quid absonum, & improprium.

VIII. In Commendatione post Completorium dicebatur:

● *Has horas Canonicas:*

Nunc

Nunc in correcto verò ponitur:

Hæc laudum præconia:

Neque hic vlla Correctione est opus, cum sit quæstio de nomine pluribus applicabili. Sine dubio *Horæ Canonicae* per antonomasiam appellantur Horæ auctoritate Apostolica præscriptæ Sacerdotibus in Breviario, sed appellatio non est tam restricta, vt ad alias extendi non debeat.

Nam vt tradit Azor: *Horæ Canonicae dicuntur preces Canonice Chorodictorum*: qua ratione eadem preces Sacerdotum Choro, non addictorum non essent Horæ Canonicae, imò etiam preces Choro addictorum, qui non sunt Canonici, perderent nomen horarum Canonice. Alij apud Gavantum dicunt Canonice & Ecclesiasticum idem sonare.

Jo. Azor. Inst. Moral. P 1. lib. 10. c. 1. q. 1.

Atqui Ecclesiasticæ preces sunt variæ & complectuntur generico nomine omnes preces, sive ex obligatione, sive ad libitum recitari solitas, communes Ecclesiasticis & Laicis, quale etiam est Officium parvum B. Virginis. Quid ergò vetat nuncupare horas Canonicas, quæ sunt ad formam aliarum Canonice distributæ, etiamsi non præcipiantur? Denique Canon habet plures significationes, & dicitur pensio annua & Ordinarium tributum

Gavant. Thef Rit. To 2 sect. 1. c. 1.

butum Canonica solutio. In hoc sensu possunt dici hæ pteces horæ Canonicae devotorum, qui eas certis diebus, & multi quotidie Deo persolvunt. Dicitur etiam Canon regula & directio, quo nomine leges Ecclesiasticae nuncupantur, vnde apparet *Canonicum* non esse ita restrictam vocem vt alteri applicari non possit nisi precibus Sacerdotum sub præcepto recitandis. Hæc de punctis in Officio præfato correctis, an rationabiliter, judicent alij.

Sunt præterea in correcto Officio duo formales errores, quos tamen puto esse Typographicos. Nempe ad Tertiam ante Collectam ponitur *Domine exaudi, &c.* cum in aliis locis ponatur *Domina protege*. Similiter ad Vesperas initio ponitur *Domine in adiutorium*, cum alibi vbique sit *Domina in adiutorium*. Posset quis suspicari hos errores consulto diffimulatos, vt in alia iterum nova correctione vtrumque iterum corrigatur, & vtraque hæc invocatio ad Deum non ad Virginem referatur. Hac ratione sensim omnis invocatio B. Virginis tolletur, cum plausu hæreticorum, qui oderunt Invocationem Sanctorum. Sed quid dicet Corrector de suo symmysta Hugone Car-

Cardinale, qui in Psalmum 90. sic commentatur: *Qui habitat in adjutorio Altissimi id est in B. Virgine, &c. Hac adjutorium Altissimi, quia juvat eum ad salvandum genus humanum. Unde de ipsa verè dicitur: Faciamus ei adjutorium simile sibi. Si B. Virgo est adjutorium altissimi ad salvandum genus humanum, quare non posset esse nobis adjutorium, ad salvationem vel ad impetrationem alicujus gratiæ apud Altissimum? Ergò securè ad illam oramus Domina in adjutorium meum intende. & pari modo Domina exaudi orationem meam, cum etiam S. Bernardus optaverit EXAUDIRI ab Innocentio Papa II. cum scriberet, quæ hic aptè referuntur. Usquequo à tanta impudentia, innocentia tanta vexatur? & hoc vivo INNOCENTIO? Peccata sine dubio nostra hoc faciunt, quod Dominus meus tam serò advertit mentientes sibi: tam lentè EXAUDIT clamantes ad se in hac causa duntaxat. Nam aliàs scimus familiare esse Domino meo, & cito intelligere, & facilè misereri. Propter eum qui elegit vos, & posuit vos refugium oppressorum, ponite jam tandem finem, & malitiæ oppressoris, & laboribus afflictorum, quia satis utraque res venit in lucem & manifestationem.*

S. Bernard.
Epist. 199.
ad Innocent. Pap.

§. III.

De Antiphona subjuncta
Officio.

Subjungitur Officio Immaculatæ Conceptionis Antiphona: *Hæc est Virga, in qua nec nodus originalis, &c.* cum Versiculo: *In Conceptione tua Virgo Immaculata fuisti.* Et Collecta: *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, &c.* Habetur quidem etiam in Correcto, sed rubrica est expuncta: *Quam Paulus V. recitanti concessit Indulgentias 100. dierum.* Vidi aliquando etiam in vno exemplari positum *Pius V. & Paulus V. eam recitanti concessit Indulgentiam 100. dierum.* & allegatum pro hoc Suarez. I. 2. T. 3. Ego nunc Suarez ad manum non habeo: sum contentus priore rubrica, quæ dicitur esse causa potissima prohibitionis Officij, nempè propter Appendicem substantiale prohibitum & correctum. Sanè vt hoc prohiberetur conquistæ sunt plures Indulgentiæ aliæ, quæ dicuntur nunquam fuisse concessæ, vel sublatae. De aliis modonon sum sollicitus.

De hac quod nunquam fuerit concessa non possum mihi persuadere, cum mul-

multi egregiâ pietate & literaturâ insignes viri attestentur, & in scripta sua dum retulerint. Paucos qui festinanti occurrunt, promiscuè allego, & Breve ipsum exhibeo: Scripserunt ergo de Indulgentia huic Collectæ Concessa. Petrus de Ojeda. Ludovicus Miranda. Balthasar Porenus. Franciscus Torres. Franciscus Bivarrius. Hieronymus Rodriquez. Joan. Euseb. Nierembergius. Petrus de Alva. Joan. Bapt. Lezana. Joannes Serranus. Georgius Colvenerius. Franciscus Sofa. Antonius Daza. Ægidius Lusitanus. Hippolytus Marraccius. Ferdinandus de Salazar. Tamajus de Salazar. Sylvester à Saavedra. Author Libelli Dies Christiani hominis impressus Coloniae Anno 1626. & plures alij. Cismontana Minorum familia adducit integrum Breve in suo Regesto, quod hic delibo.

Ojed. c. 16.
Mirand q.
17. Poren.
c. 5. Torres
14. c. 8.
Bivar §.
10 Rodriq.
Comp. Re-
sol. 30. Nie-
remb. de
object. c. 22.
Alva in
Nodo edit.
2. f. 612.
Lezana A-
pol. c. 18.
Serran lib.
2. c. 8. n. 27
Colvener.
Cal. Mar.
sofa fol. 22.
Daza cap.

Paulus Papa V. Vniuersis Christi fidelibus presentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium Religionem, & animarum salutem, caelestibus Ecclesie thesauris piâ charitate intenti, omnibus utriusq; sexus Christi fidelibus, qui Antiphonam & Orationem Conceptionis B. MARIE

19. Ægid.
Lusi. lib. 3.
Marracc.
in Pontif.
Maria.
cap. 93.
Ferd. Sala-
zar de Con-
cep. c. 42.
Tamaj. ad
Vir- an. 1616.

Castillo D.
2. q. 1. Saa-
vedra in
ser. Doip.
n. 647. Cif-
mont. Reg.
col. 175.

Virginis approbatam devotè recitave-
rint, quo die id egerint, centum dies de
injunctis eis, sive aliàs quomodolibet de-
bitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consue-
ta, relaxamus, presentibus perpetuis
temporibus valituris, &c. Dat. Romæ
apud S. MARIAM Majorem sub an-
nulo Piscatoris die 10. Julij Anno 1615.
Pontificatus nostri Anno 11. Scipio Cobel-
lutius. Gratis & pro Deo.

Observant hic Cismontani 1. Antipho-
nam hanc esse approbatam à Paulo V.
sed fuit dudum ante approbata per Si-
xtum IV. in Officio Nogarolico, deinde
in Officio Minorum, quod modicè dif-
fert à Nogarolico per Pium Papam V.
Anno 1569. de qua approbatione mox
attingemus aliqua notatu digna. 2. Fer-
tur hæc Antiphona composita à S. Am-
brosio, ita Nogarolius in suo Officio. Ver-
ficulum & Collectam addidit Sixtus Pa-
pa IV. vt testatur Bernardinus de Bustris:
alij eam tribuunt S. Bernardo, vt Biva-
rius. Habetur defacto eadem Antipho-
na in Officio Minorum quod incipit: *Si-
cut lilium, &c.* In primis Vesperis est ver-
sus & Collecta: in secundis ad quintum
Psalmum Antiphona. Recitare tamen
solent eam Minores seorsim post divi-
num

Cism. Reg.
col. 46.
Bust. serm.
s. de Con-
cept. p. 2.
Bivar §.
10. fol. 142.

num Officium quotidie. Cum ergo totum Officium Minorum approbatum sit à pluribus Pontificibus, etiam Antiphona quæ est pars Officij censeri debet approbata.

Jam verò quod tot ac tanti viri, quos allegavimus, voluerint fumos vendere fidelibus, aut confingere Indulgentias præfatas, ego mihi persuadere non possum, tum primo quia plerique sub Paulo III. vixerunt & scripserunt. Joan. Bapt. Lezana Carmelita edidit suum Apologeticum pro Immaculata Conceptione Anno 1616. teste Marracio, unico scilicet anno post concessam Indulgentiam. Petrus Ojeda Soc. Jesu scripsit eodem Anno 1616. qui cum fuerit publicus Scripturæ Interpres, & Qualificator S. Inquisitionis omnem meretur fidem. Franciscus Sosa Episcopus Oxomensis deinde Segoviensis electus scripsit Anno 1617. & sequenti mortuus est. Georgius Colvenerius scripsit in Belgio eodem Anno 1617. teste Suvertio. Franciscus de Torres scripsit Anno 1620. in aliorum ætatem non inquirò, omnes hi vivo adhuc Paulo V. Quis credat hos fuisse ausuros scribere concessam Indulgentiam, si revera non fuisset concessa.

Imò

Imò quis credat Oratorem Regis Catholici Antonium à Trejo Episcopum Carthaginensem (nisi verè fuissent concessæ Indulgentiæ) ipsummet Paulum V. alloquendo in publica audientia dicturum fuisse : *Fideles omnes invitasti ad hoc ipsam confitendum* (nempè Immaculatam Conceptionem) *concessis Indulgentiis ijs , qui Antiphonam Orationemque ejusdem Officijs recitaverint , &c.* Igitur concessas omnino fuisse has Indulgentias veritas est , & non fictio.

Deinde post concessionem hujus Indulgentiæ fluxerunt anni sexaginta quinque , & ab eo tempore fortè millies Officium Immaculatæ Conceptionis cum hac Antiphona , & rubrica reimpressum est in variis locis , cum facultate superiorum , Ordinariorum , approbationibus Academiarum , nec vllus unquam repertus est , qui contra hisceret , qui de prohibitione cogitaret , qui fictionis argueret. At fortasse non invenitur in Registratura Romana ubi Brevia expediuntur ? Sed quid si esset surreptum , si temporis diuturnitate laceratum , perditum ? In tali defectu merentur fidem probi authores : merentur fidem exemplaria authentica , qualia dicunt se posse

Wadding.
in Legat.
Hist. Sect.
2. fol. 223.

posse ostendere PP. Minores in suis Archivis. Idem posset contingere aliis concessionibus, & fortè contigit, vt non extent amplius in Registratura Romana, neque tamen propterea habentur pro conflictis.

Fortè autem Corrector respectum habuit ad Bullam Urbani Papæ VIII. quæ incipit *Aliàs fel. rec.* editam Anno *Bullarum* 1634. qua innovat & extendit Bullam *To. 5.* Gregorij Papæ XV. revocantem & annullantem omnia vivæ vocis oracula tam Religiosis quam secularibus concessa: & Urbanus extendit etiam ad illa vivæ vocis oracula, quæ Cardinalium attestationibus & syngraphis fuerunt roborata: putatque fortè Corrector etiam has Indulgentias prohibitas, aut sublatas per dictam Bullam, de quibus non nisi vivæ vocis oraculum datum fuerit. Verùm in primis concessio ista vt supra vidimus est in forma Brevis. 2. in Bulla Urbani, vt censuerunt non semel viri docti in variis Academiis consulti non comprehenduntur vivæ vocis oracula de Indulgentiis, quia Gregorij XV. intentio fuit, (vt ex Bulla patet) revocare solum Privilegia tam Religiosis quam Secularibus concessa vivæ vocis oraculo propter abusum

busus qui irrepebant, cum tales concessiones *interpretatione minus Canonica* (vt loquitur Pontifex) *extendebantur & executioni mandabantur*. atqui in concessione Indulgentiarum pro devotione fidelium, nulli tales abusus sunt metuendi, nec veniunt Indulgentiæ sub nomine Privilegiorum, quia Privilegia sunt privatae leges, & exceptiones à lege communi, quod Indulgentiis aptari non potest. E. hinc est quod non obstante tali Bulla, per totum nihilominus terrarum orbem prædictæ Indulgentiæ Pauli V. cum Antiphona memorata multoties cum approbatione superiorum & Ordinariorum ordinaria sint impressæ. Imò post dictam Bullam plures Authores de ijs scripserunt tanquam adhuc validis nec vnquam sublatis, quales sunt Sylvester à Saavedra Anno 1653. Nierembergius 1654. Alua 1660. Marraccius Anno 1642. & alij quos longum esset recensere. Quodsi verò jam SS. D. N. Innocentius illas sublatis vult, sumus obediens Filij, nec in minimo obluetabimur, orabimus nihilominus eas denuo concedi, & novâ concessione roborari.

Cæterum est quod vehementer admiror I. Innocentiam Virginis potissimum

num impeti sub Innocentijs, quasi metuerent piæ sententiæ Adversarij, ne Innocentius aliquis pro Deiparæ Innocentia decerneret, & diuturnam litem definiret. Nam vixdum creatus fuerat Innocentius Papa X. cum prodijt Anno 1644. Decretum illud in Cœnobio Minervæ sub Urbano VIII. fabricatum, loco scilicet non solito Consistorij coram summo Pontifice celebrandi, quo prohibebatur titulus *Immaculata* adjungi *Conceptioni*, licet concederetur vt dici posset *Virgo Immaculata*. contra quod Decretum plures deinde prodierunt Tractatus, & ipse SS. Dn. Innocentius X. professus est se inscio & inconsulto fuisse evulgatum. Cum hoc non successisset Anno 1648. sub eodem Innocentio X. accinxit se ad scribendum P. F. Thomas Turcus Ord. Prædicatorum Generalis, qui calamo ceu frameâ vsus tentavit Officium de *Immaculata Conceptione* à FF. Minoribus recitari solitum, ex Proprio Minorum excindere, eo potissimum argumento, quod negaret esse approbatum à Pio V. aut concessum Religioni Minorum. Tractatus incipit *Felici Sydere*, quod tamen Turco fatale fuit, quia in scriptione illius mortuus fertur.

Cism. Aumau. col. 220
Calderon. lib. pro tit. Immacul. Guerra Maj. Grat. To. 2.

Turcus ap. Alzam in Nodo edit. 2. col. 562.

Inter alia sic habet : *Instar fulminis Adversarij percussi jacent* (nempè Minores) *in omne latus tamen se vertunt , ut spiritus revocent , & cum nihil lucidum aut vegetum spirare potuerint , lepidam fabulam attexuerunt ad dementandos simplices . Libellum enim evulgarunt hoc modo scriptum : Propria Festorum Ordinis FF. Minorum , ad formam Officij novi redacta , quæ SS. Dn. N. Pius V. Pont. Max. Anno 1569. die 15. Maij Pontificatûs vero sui Anno 3. vivâ voce concessit . In hoc autem Libello Pij V. approbato , cum sit comprehensum Officium Conceptionis à Nogarola editum , clarissimè patere plenis buccis vociferantur , idem Officium à Breviario Romano licet expunctum , Franciscanis tamen benignissimè concessum fuisse , & oraculo Pij V. approbatum . Pergit deinde idem Turcas & negat hoc Officium à Pio V. approbatum his verbis : Sed cum larvam detego , queso animum advertant , & insignem imposturam recognoscant , & turpissimam audaciam manibus palpent . Et post nonnulla : Per fraudulentam verò & prophanam manuum elapsis annis , quando falsitas non tam facile convinci poterat , illud Nogarolæ Officium alijs superintrusum , & per summam audaciam adjectum . Igitur juxta P. Turci oraculum sunt FF. Minores*

Fulmine percussi, quia lepida fabula textores, dementatores simplicium, insignes impostores, ac turpissimè audaces. Hæc ideò formalibus verbis P. F. Turci referre volui, vt constet orbi quod adversarij piæ sententiæ à nobis exigant exactissimam in scribendo modestiam, quam tamen illi plusquam audacter calcant. Cæterum hanc imposturam Ordini Minorum imputatam retorquet in ipsum Turcum P. Petrus de Alva, inter quem & Turcum ego non agam arbitrum: hoc tamen

Miror 2. quod P. Turcus in illo suo Tractatu asserat: In Archivo Religionis Dominicana duo exemplaria habentur huius libelli proprium Festorum Ordinis FF. Minorum, alterum impressum Anno 1564. alterum vero excusum Parisiis Anno 1585. utrumq; insignitum eodem viva vocis oraculo Pij V. Anno 1569. In primo autem libello minimè reperitur alijs annumeratum Officium Nogarola. In secundo simul cum alijs recensetur prædictum Officium. Non possum capere, quomodo Officium potuerit imprimi Anno 1564. cum vivæ vocis oraculo Pij V. qui nonnisi anno sequenti ad Cathedram Petri enectus est. Sed excusat illum P. Alva, quod voluerit scribere Anno 1569. quo ipso (fortè post

D 2 impressum

impressum Proprium) Pius V. concessit Minoribus recitare Officium Nogarolicum: putat tamen Alua hoc à Turco fictum cum non addat locum impressionis & locum Archivi, in quo reperitur exemplar. Mihi satis est quod P. Turcus fateatur Anno 1585. impressum Proprium FF. Minorum cum Officio de Immaculata Conceptione Nogarolico, addita approbatione Pij V. Quare ergo ab illo tempore vsque ad annum 1648. per totos 62. annos tacuerunt PP. Dominicani, & non deduxerunt in controversiam illam approbationem Pij V. qui obiit Anno 1572. Imò quod scire debuisset P. F. Turcus, eodem hoc tempore vivebat F. Vincentius Justinianus Antistius, Ordinis Prædicatorum, & scripsit Tractatum de Immaculata Conceptione, in quo disertis verbis ait: *Pius V. Papa, cujus sanctitas & doctrina meretur magnam venerationem Anno 1569. die 25. Maij viva vocis oraculo concessit, ut in toto Ordine S. Francisci possit recitari Officium publicatum à Sixto IV. nimirum Nogarolicum de Immaculata Conceptione. Prodiit primum hic Tractatus Anno 1593. quo erat adhuc recens memoria Pij V. & ejus de Officio approbationis: prodiit deinde saepius*

*Vino Just.
in Addit.
§ 5. ad vit.
B. Beltr.*

*Marrace.
in Bibl. Al-
va in Nodo.
& Milit
Mr.*

sapius, vt An. 1610. & 1616. quæ poterant P. Turco esse nota, & tamen post tot Annos voluit dubitare de approbatione, imò totum Ordinem Minorum imposturæ arguere. Meliora superi! Meliora sub INNOCE'TIIS! sed quod sub INNOCENTIO X. passum est Officium Minorum, hoc sub INNOCENTIO XI. experitur Officium paruum omnium devotorum Deiparæ: vt iustè alloqui oporteat SS.Dn.N. verbis iisdem quibus S. Bernardus olim allocutus est INNOCENTIUM II. in alia causa: *Iterum supplicatio, iterum preces, & decies repetita non desinent. Non desistimus, quia non diffidimus. Bonam causam habemus, & æquum iudicem; qui non cunctabitur euacuare quod subreptum est, cum apparebit quod verum est, nec poterit inderidere, qui voluit irridere, scd vt scriptum est: mentita est iniquitas sibi. Hoc solet habere precipuum Apostolica Sedes, vt non pigeat revocare, quod à se fortè deprehenderit fraude elicatum, non veritatè promeritum. Res plena æquitate & laude digna, vt de mendacio nemo lucretur, præsertim apud sanctam & summam Sedem. Sic S. Bernardus.*

*S. Bernardus.
Epist. 180.
ad Innoc.
Pap. II.*

Cæterum tametsi vt supra dictum,

in omni jure concedatur exceptio contra Judicem partialem & suspectum, videtur nihilominus Magister Sacri Palatii jure suo vsus rectè prohibuisse tale Officium in individuo, ex eo quia in titulo Officij ponitur concessas Indulgentias Officio, de quibus non constat, (& in alijs exemplaribus hæc rubrica non reperitur) Verum si benè rem perpendas videtur non esse æquum, vt propter titulum prohibeatur ipsum Officium, sed sufficisset declarare nullas huic Officio concessas Indulgentias, quod quidem fecit in altero Decreto Sac. Congregationis nomine evulgato die 8. Martij (nam alterum editum erat sub ipsius nomine die 17. Feb.) vbi solas Indulgentias prohibuit, sed non sustulit Decretum primum quo prohibitum est ipsum Officium, nisi fortè voluerit insinuare causam prohibiti Officij fuisse rubricam de Indulgentiis, & hac ratione substantia Officij maneret inconcussa. 2. Cum constet ex probis authoribus, vt supra probatum concessas esse Indulgentias Antiphonæ & Collectæ *Deus qui per Immaculatam*, & fateatur in Decreto P. Magister Sac. Palatii quod illa Antiphona sit pars Officij, (dicit enim quod Officium finiatur per illam

illam Orationem) non videtur etiam propter titulum causam vllam habuisse Iudex prohibendi tale Officium : quia in hoc casu Antiphona cum Collecta est Principale , & Officium solum accessorium , & obtinentur Indulgentiæ (positis cæteris requisitis) sive recitetur sola Antiphona, sive vna cum Officio.

An verò Officium ipsum correctum sit auctoritate eadem & de mandato speciali SS. Dn. valde dubito, & pro negativa facit, quod impressum circumferatur Lucæ permissu superiorum, nulla addita approbatione, vel nota alicujus Decreti, vt in similibus fieri solet. Videtur proinde Corrector quisquis fuit, arbitrio proprio suscepisse correcturam, præsertim cum ly permissu Superiorum diversum habeat sensum, positivum & negativum. Permittitur positivè quando superiores requisiti concedunt licentiam, permittitur negativè, id est non impeditur, cum nihil superioribus ea de re dicitur. *Sed : Quien haze vn cesto, bara ciento.* Sanè si fuisset mens & voluntas SS. Dn. N. vt Officium corrigetur, non fuisset extra Romam, aut saltem quasi extra Romam correctura impressa, fuisset additum saltem in titulo de mandato SS. Dn. vel, ex Decreto

Sac. Congregationis. Nihil autem simile additum est : ex quo licet colligere, factam esse illam correctionem propria voluntate alicujus piæ sententiæ osoris, ac proinde nullum robur habere, nisi aliud super hoc Decretum exhibeatur.

§. IV.

Parerga ad explenda vacua folia.

Ex

Privilegio Martini Reg. Aragonum
Anno M. CCCC. VIII.

M Eminimus pridem cum quadam charta nostro Sigillo appenditio insignita data Casar augusta 17. die Januarij, Anno 1398. regni nostri tertio inhabuisse firmiter veracissimæ opinionioni, quam habuit Illustris Joannes Rex Aragonum frater noster memoriæ celebris, hoc est quod gloriosissimæ Virginis & Matris MARIÆ Beata Conceptio fuit ab omni labe peccati originalis exempta &c. Deinde circa finem: Et ad tollendam omnem materiam occasionis & scandali, rogamus & attentè requirimus, ac in Domino exoramus omnes, & singulos Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Prelatos intra nostrum Dominium, ubi licet constitutos, ad quos hæc spectare modo aliqua videantur, quatenus casu quo aliquis prædicant.

dicando, vel disputando, aut alias de materia præjacenti aberraverit, taliter, quod Inquisitio sequi debeat contra illum; talem Inquisitionem per dictos Fratres de Ordine Predicatorum Inquisitores heretica pravitatis (eo quia naturaliter soli & singulares inimici existunt omnium & singulorum contentorum in edicto præfato, cum ceteri Religiosi, imò & quacunque scientiarum universitates sint ees in hac veritate contrarij) fieri de cætero non permittant: nec tales sint Judices &c. cum sit dissonum rationi, & alienum à moribus coram suspecto iudice litigare; sed hoc fiat per prædictos Archiepiscopos, Episcopos, & Officiales Ordinarios eorundem, quos jam sacri Canones Inquisitores primarios statuerunt. Datum Barcinoe sub nostro Sigillo Secreto 26. die Aprilis Anno 1408.

Rex Martinus. *Cism. Reg. col. 295.*

Extat hoc Diploma seu (vt intitulum) Privilegium Archetypum in Cœnobio Minorum Madritensi, typis mandatum, vt testantur Cismontani. Faciunt ejus mentionem. Lezana. Miranda. Ojeda. Porrenus. Torres. Ægid. Lusitanus. Velasquez. & alij plures.

Lezan. c. 22. Miranda cap. 78. Ojeda c. 8. Porren. c. 12. Torres l. 4. c. 4. Velasq. lib. 4. Diff. 10 adn. 1. Salaz. &c.

*Ex Disputatione Ambrosij Catharini Ord. Præd. Episcopi Minorien-
sis de Immacubata Con-
ceptione.*

Adhortatio ad FF. Prædicatores.

*Catharin.
Disp. ad
Conc. Trid.
col. 112. &
seqq. apud
Arm. Se-
raph. sin.*

QUapropter reliquum tandem est Pa-
tres observandissimi & Fratres dile-
ctissimi, atque intimi cordi meo, ut
justam querimoniam Christianâ ac piâ
mente suscipiatis, nec spernatis consi-
lium pacis, quod à vera charitate profi-
ciscitur, &c. Nam ut finem nostræ Di-
sputationi tandem imponamus: Puta-
tisne sanctam Romanam Ecclesiam
eâ levitate ferri, ut sit aliquando vel o-
pinionem vestram amplexatura, vel sal-
tem cultum illum reprobatura, quem
semel Pontificio Decreto suscepit, & so-
lenni omnium Ecclesiarum ritu, cum
munificentissima Indulgentiarum largi-
tione, jam dudum celebrare perseverat?
An vllum quæso potestis similis muta-
tionis exemplum proferre, quo in spem
bonam erecti expectare possitis, de ve-
stra oppositâ opinione victoriam? si hoc
vobis persuasistis; quis non videt in
quanto errore versemini, quamque pa-
rum

rùm piè de providentia DEI erga Ecclesiam, & ejus gubernationem sentitis? Quod si victoriæ spem vobis ereptam clarè cernitis, cur non antevertitis severiorem aliquam Ecclesiæ sententiam, quæ non patietur ulterius serpere, in dimidiato vno Ordine opinionem divino cultui repugnantem. Quid enim vobis præter imminens periculum publicæ ignominia restat? Reddita sunt jam vobis clara omnia. Probatum est sententiam nostram non solum Christi dignitati non detrahere, sed magnificentissimè illam extollere. Matrem Filio non æquari, sed locum ei ex Filij meritis convenientissimum dari. Scripturæ nedum non reclamant, sed mirificè favent. Soluta sunt SS. Patrum argumenta. Omnes totius Orbis Ecclesiæ, omnes Religiosorum Ordines celebrant. Universitates celeberrimæ comprobant. Ipsa tandem SS. Romana Ecclesia gravissimo Decreto per Concilium Tridentinum confirmato ita sanxit. Quem igitur finem vobis proponitis? Vosne eâ spe sustinetis, vt totus Christianismus cultum suum deserat, & vestræ opinioni adhærescat, sicque petendam esse à vobis in posterum Ecclesiasticarum Solennitatum

tum veritatem credat? Non existimo certè ita vos desipere. Vestrum igitur est sapienter veram ordinis gloriam quærere: quam tum demum factam tectam existimare debetis, cum gloriæ Christi, & Matris potissimum studebitis, & ab institutis Romanæ Ecclesiæ non recedatis. Quod futurum propter DE I bonitatem, & merita illius mitissimæ Matris & S. P. N. Dominici, & filiorum ejus, quos per illum Dominus in gloriam adduxit, spero & confido. *Hactenus*

Catharinus.

F I N I S.







